



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

1. Donatio Ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

*Donatio Ecclesie.*

I. **M**Vndi terminum adpropinquantem ruinis crebrentibus jam certa signa manifestantur. Idcirco ego in Dei nomine ille considerans gravitudinem peccatorum meorum, & remittens bonitatem Dei dicentem, Date elemosynam & omnia munda fiunt vobis.

*Item alio modo.*

Si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ego quidem de tanta misericordia & pietate Domini confisus per hanc epistolam donationis dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam sancti Martini, ubi ipse pretiosus corpus requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, & venerabilis vir ille Abbas præesse videtur, villam juris mei nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exiis & ingressis, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adjacentiis, sicut à me præsentis tempore videtur esse possessum, totum & ad integrum de jure meo in vestra vel sancti Martini jure proprietario trado atque transfundo; ea verò ratione ut quandiu advixerò, sub usu beneficij vestri absque ullo præjudicio vel diminutione aliqua prædictas res tenere & usurpare debeam, & post meum quoque discessum, quicquid in jam dicta villa vel in finibus suis additum, adtractum, emelioratum, repertumque fuerit, & transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesie agentisque illius absque ullius expectata traditione vel judicium consignatione in nostra elemosyna vel substantia monachorum ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad præsens absque usu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem; ita ut quicquid exinde pro opportunitate monasterij facere decreverint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et si fuerit ullà quislibet persona qui præter istum, alterum instrumentum exinde præsentaverit, aut anteriorem aut posteriorem, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, nullum for-

Tom. II.

tiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. auctorem verò criminis vel falsarium judiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut illus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc donationem aliquid refrangere vel calumniam generare præsumserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos quingentos componat, & hæc donatio cum stipulatione subnixâ inlibata permaneat. Actum in illo loco.

*Mandatum.*

II. Magnifico fratri illo, ego ille, filius illius. Rogo, supplico, atque tuæ caritati injungo ut ad vicem meam civitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris nuncupantibus illis, sitis in pago illo, per mea legitima strumenta confirmavi, gestis municipalibus cum curia publica & defensore facias alligare vel prosequere, & de ipsa prosecutione mihi reddas certiozem. Et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum, ut pleniorum obtineat vigorem, manu propria subter firmavi & bonorum virorum subscriptione roborandum decrevi.

*Gesta.*

III. Anno illo, regnante Rege illo, sub die illo, cum conventum Turonus civitate adfuisset, adstante venerabili viro illo defensore, unâ cum honoratis principalibus suis, venerabilis vir ille dixit. Rogo te, venerabilis vir ille defensor, ut mihi codices publicos patere jubeatis, quia inluster vir ille per hoc mandatum ad me speravit ut donationem illam, quam de rebus suis propriis, de locis nuncupantibus illis, sitis in pago illo, partibus illius per sua legitima strumenta confirmavit, gestis municipalibus cum curia publica & defensore prosequere & alligare deberem. Ecce ipsam donationem, jubete eam recitari. Venerabilis vir ille defensor & ordo curiæ dixerunt: Codices publici te patefaciant, & ille amanuensis hanc donationem accipiat vel recitetur. Qui statim accipiens, per ordinem eam recitavit. Iam dictus profecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo ut publica monumenta suscipiat. Et patefactis codicibus, gesta cum à vobis fuerit subscripta, mihi nobilitas vestra, ut mos est, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defensor & ordo curiæ dixerunt: Gesta

G g ij